

Marcum-Antonium Maurocenum, Senatorem in primis doctum, epistola, qua Pomponii decessum lamentatur, qui contigit (a) XII. kal. majas anni M. CCCC. LXXXVII. cum prope septuagena rursus is esset. Commendavit mihi per litteras suos Caesares Pomponius Lactus iis PAUCIS DIEBUS QUIBUS VITA DECESSIT, &c. Et aliquanto post: Nam Pomponius HAUD MULTO POST quam hanc suam ad me misit lucubrationem, FATO DECESSIT: pergitque reliqua epistola vitam ejus ita enarrare, ut facile appareat, quanto sit ipse amore & reverentia magistrum de se optime meritum profecutus.

Sex annos distulit alteram *Enneadum* partem emittere, quibus totis, quemadmodum etiam superioribus annis, vix credi potest, quibus quantisque auditoribus virisque doctrina conspicuis floreret Academia, quam domi suae ipse instituerat. Hujus Academiae, quae neque Romanae, neque Neapolitanae, neque Florentinae, neque alii cuivis concedebat, non raro ipse meminit in Epistolis, praecipue vero in ea quam Andreae Mocenico dedit (b), tum admodum adolescenti, & quem postea celebrem fecit sua de bello *Cameraensi* historia (c), doctumque suum *Pentateuchon* (d) ut alia opera praeteream latino carmine lucubrata (e) necdum in publicum emissa. ACADEMIA, quam eleganti carmine hinc profecturus salutasti (sic illum per epistolam affatur) pulchre valet: estque hodie frequens ut si quando alias: saepeque, ut mihi dicitur, urbanissimus ille tuorum aequalium coetus de te suavissime loquitur, tuamque suspirat absentiam. Non vacat clarissimos discipulorum recensere, neque essent humeris tanto oneri pares. Sufficiat pro cunctis memorare celebrem *Pierium Valerianum*, *Bellunensem*; *Domitium Palladium*, *Soranum*; & *Petrum Sabinum*, quos e regionibus suis evocavit discendi sub tanto magistro cupiditas. Praestantissimi ex omni Venetae civitatis ordine, praesertim vero ex patricio, inter quos facile eminebat *Andreas Naugerius*, gymnasium ejus celebrabant. Quanto autem cum fructu inde redierint, notum omnibus faciunt, qua plerorumque ipsorum scripta, qua etiam aliorum doctissimorum hominum, & maxime ipsius *Sabellici*, qui non raro alibi, saepius in epistolis maxima cum laude illorum mentionem facit.

Quod si tantum laborum in discipulos erudiendos impendit, difficile credam, neglectam esse ab illo *Marii* filii educationem: ex non justa uxore hunc susceperat. Moribus quidem optimis gravibusque *Sabellicus* fuit; ajunt tamen natura fuisse in venerem procliviori. Ipsi adhuc juveni, ex illicito concubitu, sub annum M. CCCC. LXXVIII. quo tempore *Vtini* profitebatur, natus erat hic *Marius*, ut conjicimus ex epistola (f), qua *Francisco Piccolhomineo*, *Senensi Cardinali*, *Marium* eundem commendat: ut si in tanta beneficiorum affluentia, quanta ejus continentia sacerdotia, unus aliquis quando vel minimus vacaverit locus, dignaretur ejus pietas hunc filio suo impertire: ecclesiasticum enim fieri tum *Marius* agitabat. Scripsit eam epistolam anno M. CCCC. LXXXVIII. ubi, Est, inquit, mihi Filius ANNOS CIRCITER VIGINTI natus, etc. Egressum primis grammatices elementis *Ferrariam* (g) misit ad *Antonium Bonfinium*, *Asculanum*. Hic ex Italia excitus a Rege *Mathia Corvino* honesto stipendio, ejusdem jussu conscripsit ediditque rerum *Ungaricarum* Decadas.

Quod primum vero *Bonfinium* rogavit *Sabellicus*, illud fuit, ut literis

(a) Ex mss. Biblioth. Vaticanar.

1500

(b) Epist. lib. III.

(c) Ven. ap. Bernardin. de Vitalib.

1525. in 8.

(d) Ibid.

1511. in 8.

(e) De bello Turcarum libri VII. Elegiar. lib. I.

(f) Epist. lib. VIII.

1498

(g) Epist. lib. II. III. & seqq.